

nonnulli impingunt, sententiâ de *Mundi aternitate*; diver-  
 sitatem quoque sententiarum tetigi, quarum una *totius*  
*substantie abolitionem*, altera *qualitatum* amplexa est *immu-*  
*tationem*; quòdque Dd. Scholastici, otio suo sæpius intem-  
 peranter abusi, Petri Lombardi nempe filij, Thomæque  
 & Scoti nepotes, alijs tricis involuti, de igne, quo *Mundus*  
*conflagraturus fuerit*, altercati sint inter se: porro catholici  
 hujus *εμπρησµῶν* *prælia* esse & *prodigia* (quæ antè aguntur,  
 & agunt mortales in cognitionem futuri) quasi præcida-  
 nea tot ac totas Sodomorum, Iliorum, Persepoleων, Car-  
 thaginum, Corinthorum, Romarum, Hierosolymorum,  
 quæque hodie cum *gaudio & tripudio incendiariorum Neronum*,  
*lamentis* autem atque *ejulatibus incolarum* & factæ sunt & fi-  
 unt *αλώσεις*; easque nobis mortalibus *monitioni* esse debere  
 & *cautele*, quum certissimo simul atque *αφύκνω* CHRISTI  
*κηρυγματισµῶ* non soli illi decem (4) & octo, super quos tur-  
 ris juxta fontem Siloam ceciderat, peccatores fuerint, sed  
 omnes similiter, (*ὡσαύτως*) perituri sint, quicumque à flagi-  
 tijs & sceleribus non resipuerint: Verè enim Hierony-  
 mus in cap. VII. Jeremiæ, *Quicquid illi populo dicitur, intel-*  
*ligamus & de nobis, si similia fecerimus*: facilis vocum, *Alsatie*  
*ac Lusatie*, lapsus est & *ἀλλοίωσις*, & novimus illud vetus  
 Poëtæ principis (5)

Mantua væ! miseræ nimum vicina Cremonæ,  
 quod tamen omen ut avertat atque amoliat *ὡς τηλικαύταται*  
*τηλεβόλοι* DEUS ad (6) Arabas usque & Massagetas, Gara-  
 mantas (7) & Indos, calidissimis votis, singultantibusque  
 suspirijs precamur.

Ceterum observaturi fuerint benivoli scriptorum  
 meorum lectores & candidi censores, quòd libenter sole-

); ( 2 am

(4) Lucæ XIII. v. 4:5. (5) Virgil. Eclog. IX. v. 28. adde Lucan. lib. I.  
 v. 244. seqq. (6) Horat. lib. I. Carm. XXXV. ult. (7) Virgil. Eclog.  
 IIX. vers. 44. uti nos Christiani ex Psalm. LXXIX, 6. Jerem. X.  
 vers. 25. & cap. XVII. vers. 18.